



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*
(*TEMPLUM SS. AMBROSII ET CAROLI*)*

TEMPLUM SS. AMBROSII ET CAROLI AD VIAM LATAM
CARDINALICIO TITULO PRESBYTERALI HONESTATUR.

Ab antiquis quidem temporibus huius Romanae et Apostolicae Sedis positum est in more ut S. R. E. Patribus Cardinalibus dignitate sua omnibus in Ecclesia praestantibus unum ex celeberrimis Urbis templis attribueretur, quod esset cum eorum amplitudine ac quasi maiestate par. Nos igitur mox eligendis Purpuratis Patribus proprium Titulum assignare volentes nec tamen satis pro eorum numero habentes, statuimus sacras Sanctorum Ambrosii et Caroli ad Viam Latam aedes ad Tituli Presbyteralis gradum et honorem evehere. Id autem templum quod a Lombardis civibus, saeculo XIV exeunte, exstructum ac S. Ambrosio, Mediolanensi Episcopo, dicatum fuit, insequenti saeculo fere collapsum renovatum est. Penes commemoratas sacras aedes nullo non tempore sedem habuit Lombardorum Sodalitas seu Confraternitas, quam Pius IV P. M., Mediolanensis, amplissimis privilegiis cumulavit. Praeterea, saeculo XVII ineunte nova ampliorque ecclesia aedificari coepta est, Sanctis Ambrosio et Carolo dicata, quae anno MDCLXXXIV absoluta artisque operibus exornata in potioris momenti huius almae Urbis templis est annumeranda. Quo in templo, id quoque recolere Nobis gratissimum est, die XXI decembris a. MDCCCLXXIX, Achilles Ratti, qui postea fuit Pius XI, a sacerdotio recens primam hostiam Deo immolavit. Hic autem Summus Pontifex ad perpetuandam sui lubilaei sacerdotalis memoriam, Litteris Apostolicis diei XXI decembris MCMXXIX, templum sanctorum Ambrosii et Caroli Basilicae Minoris titulo perpetuum in modum exornavit. Quae cum ita sint, volentes et Nos in easdem sacras aedes Nostram significare voluntatem templum *SS. Ambrosii et Caroli ad Viam Latam* apostolica Nostra auctoritate *Tituli Cardinalicii* dignitate honestamus, una cum iuribus et privilegiis quae consequuntur. Has vero Litteras dilectus filius eiusdem templi Rector ad exitum deduci curet, per se ipse, vel per alium, dummodo ecclesiastica dignitate pollentem virum. Re vero acta, idem documenta exaret, quorum exempla sincere conscripta et sigillo impressa, ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittat. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis

generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis iunii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostris quarto.*

<p><i>Pro S. R. E. Cancellarius</i> HAMLETUS I. Card. CICOGNANI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i></p>	<p>CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. Consist. pro-Praefectus</i></p>
--	---

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, Protonot. Apost.

Eugenius Sevi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 15, pp. 931-932 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana